DE EXEMPTIONE

PERSONARUM NON REGULARIUM

AB AUCTORITATE

EPISCOPALI

DISSERTATIO

RAPHAELIS PACETTI.



SACRA STUDIA EXCULTA

ROMAE MDCCCXXIII.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ

PRAEFATIO

Inter praeclara instituta, quae ad clericos magis magisque excitandos ad excolenda Ecclesiasticarum rerum studia condita sunt, summis quidem laudibus efferendum est novissimum illud a clarissimo Viro Philippo Filonardio Athenarum Archiepiscopo primo excogitatum, dotatumque; hinc SS. D. N. Pii PP. VII. munificentia cumulatissime auctum, ac locupletatum, in quo studiosorum Ecclesiasticorum aemulationi varia proponuntur e sacris selecta studiis argumentorum genera, aureo pollicito praemio, et annua etiam pensione quibusdam ex iis, qui, praeviis studiorum suorum experimentis, ceteris ingenio, doctrina, atque eloquentia praestare judicentur. Cum autem primum hoc anno hujusmodi experimento data sit opera, sapientissimi Censores statuerunt, a publico Ecclesiastico jure esse exordiendum. Quare theses propositae sunt quinquaginta, ductisque sortibus, haec prodiit: Potest Romanus Pontifex personas non Regulares suae potestati immediate subjicere. *Dissertationem juxta leges intra quindecim dierum spatium confeci, eique tesseram, seu notam apposui:* dicit Simoni Petro Jesus etc.; *cautum quippe est, ne disserentium*

nomina ad praecavenda partium studia indicentur. Aliud postea propositum est argumentum, de quo, stantibus pede in uno, intra horas quinque nullo librorum praesidio agendum foret. Huic etiam satisfacere pro exiguis meis viribus curavi; rebusque ad trutinam revocatis, id, Deo opitulante, sum consequutus, ut aureo praemio donatus sim, ac dein Accademicorum albo, decreta mihi pensione, faustissime cooptatus; quod quidem et mihi stimulum addet ad excolenda in posterum majori omni conatu, ac diligentia Ecclesiastica studia, et magno erit, ut spero, ceteris omnibus incitamento. Plura quidem in hac mea Dissertatione invenientur minus accurata, quae aliqua emendatione indigerent, quaeque ego ipse cupiebam ab erroribus expurgare; sed cum ex Instituti legibus a Summo Pontifice confirmatis decretum sit, ut Dissertationes, quae praemio donatae sunt, absque ulla additione, vel mutatione, publici juris fiant; quamvis ipsi Censores plura deprehenderint, quae castiganda forent, tamen ut eorumdem judicii aequitas universis pateat, illam plane intactam, ut primum exhibita fuit, typis mandandam esse voluerunt. Quare lectores demisse rogo, ut quidquid in hac dissertatione mancum, indigestum, atque inelegans esse perspexerint, id aetati, et circumscriptae temporis brevitati, benigne, ut spero, donare velint.

Censores judicarunt dissertationem , cui inscripta sunt verba Dixit Simoni Petro etc., *eique adjunctum extemporale experimentum , etsi ea non omnis maculae expertia , quod tamen praestare caeteris , et praemio digna visa sunt , ex Legum praescripto in lucem proferri posse .*

Petrus Ostini Censor a Secretis .

Dicit Simoni Petro Jesus :
Pasce Agnos méos : pasce oves meas.
Joa. 21.

S. Bernardus Eugenio P.

Habent Episcopi sibi assignatos greges singuli singulos : tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pastor. l. 3. de Cons. ad Eug.

Potest Romanus Pontifex personas non Regulares suae potestati immediate subjicere.

Protestantium, aliorumque qui se catholicos dicunt, errores et calumniae exemptionum occasione in Apostolicam Sedem prolatae.

1. Innumerabiles propemodum infelicissimis hisce temporibus in Apostolicam Sedem circa rem quam pertractare aggredimur, calumnias, mordacesque objurgationes nedum Protestantes, verum etiam nonnulli, qui se Catholicos dicunt, evomere non erubescunt.

Parce admodum et circumspecte, ajunt ipsi (Bohemerum (1) dico praesertim, nec non Febronium (2), Tamburinium (3), Eybel (4), et hujus furfuris alios) olim Sedem Romanam perpaucos suae jurisdictioni immediate subjecisse; neque id suo quodam proprio jure; sed Episcoporum *concessione*, approbationeque Synodali fecisse. Temporis autem progressu factum esse, ut hujusmodi exemptiones latissime propagatae fuerint, idque Schismatis potissimum tempore evenisse, cum singuli Pontifices dubii id curae cordique habuerint, ut factiones suas, quas *obedientias* vocabant sub sua devotione, ac fide confirmarent, sibique arctius adhaerentes haberent. Imposterum etiam

(1) Jus. Ec. Protestantium l. 5, ti. 33. de privilegiis, et excessibus privilegiorum. §. 7.

(2) De statu Ecclesiae c. 7.

(3) Vera idea della S. Sede c. 2.

(4) Quid est Papa?

Curiam Romanam politicis inductam esse rationibus in hujus generis exemptionibus passim conferendis. Ad augendum enim immensum dominatum suum *nova* assumpsit *principia*, sibique vindicavit *absolutissimam* potestatis *plenitudinem*, *immediatamque* in universa Ecclesia jurisdictionem, seseque *ordinarium ordinariorum* R. Pontifex constituit, non sine gravi Episcopalium jurium laesione, Hierarchici Ordinis perturbatione, legum Ecclesiasticarum conculcatione; unde morum corruptio altiores egerit radices, et semina ad infinitas discordias, aemulationes, et lites sparsa sint. *Illicita* igitur haec Romanorum Pontificum agendi ratio, et Sanctissimis Divini Ecclesiae Fundatoris ordinationibus opposita ab omnibus recte sentientibus est habenda. Quin imo? Cum eorum jactitata *jurisdictio* fragili innitatur Isidoriano fundamento, eo sublato, tota huic superstructa moles *labitur*. Sed quorsum haec?

Erroribus hujusmodi, ac calumniis historice, et theologice occurrendum.

2. Contra tot tantasque nostrorum adversariorum *calumnias*, *erroresque* operae pretium arbitror genuinam primum exemptionum hujusmodi historiam breviter enucleare; originem nempe, progressus, diversasque causas, quibus hae concessae, et in variis Orbis partibus propagatae sunt, dein rectissimam summorum Pontificum, et Conciliorum Ecumenicorum agendi rationem, ut apta, et opportuna iis, qui exoriebantur, abusibus (quod rerum omnium humanarum proprium est) apponerent medicamenta. Tan-

dem Ecclesiae Spiritum hoc in negotio introspiciamus, unde satis apparebit, quam a rerum veritate, et constanti fidelium sensu aberraverint qui tam multos contra RR. Pontificum potestatem errores protulerunt.

3. Varii generis personae exemptionis privilegium a Romana Sede obtinuerunt: Sed cum exceptis Regularibus, de quibus impresentiarum non agimus, Canonicorum Capitula frequentius ab Episcoporum jurisdictione sublata, et RR. Pontificibus immediate subjecta fuerint; cumque huc potissimum adversariorum tela directa sint, de his fusius; de aliis autem personis nonnulla postea dicam.

Capitulorum exemptio.

4. " Ante millesimum Christi annum (sunt verba Thomassini (1)) nullum usquam commemoratum est privilegium immunitatis Canonicorum, sive Capitulorum quorumcumque ,, ; recteque animadvertit, Canonicos antea *consiliarios Episcopis et collaboratores fuisse* (2). Tunc temporis enim capitulorum Canonici coetum efficiebant Episcopi mode-

Ejusmodi exemptionis origo. Non ante annum 1000.

(1) Velus et Nova Ecclesiae Disciplina par. 1. lib. 33. §. 10.

(2) Probat id auctoritate Joannis VIII in responsione ad Episcopum, et Canonicos Ecclesiae Pictaviensis, qui Apostolicae Sedis protectionem postulabant. Haec ille habet ,, liceat Episcopis, ut possederunt possidere ut ordinarunt, ordinare cum consulto, consensuque suae Ecclesiae Canonicorum, ut prisca consuetudo dignoscitur ,,. Haec ep. invenitur in actis C. Tricassini II. Alia monumenta, quae ad hoc confirmandum affert Thomassinus, brevitatis gratia praetereo.

rationi subjectum eadem fere ratione, qua Monasterium a suo Abbate regitur, ut animadvertit Episcopus Laudunensis postea R. E. Cardinalis in Conventu generali Cleri Gallicani anno 1660 (1). Rebus igitur ita se habentibus (concludit laudatus Thomassinus) " non poterant hi Canonici subducere seipsos Episcopi jurisdictioni ne ea labefactata seipsos labefactarent, ea collapsa ipsimet collaberentur „. Temporis autem progressu (ut memoratus habet Cardinalis) facta mensae Capitularis ab Episcopali divisione, et ipsis in Canonicos vel saevientibus, vel comtemptim, negligenterque cum iis se se habentibus, exemptionibus locus patefactus est.

Quando, quibusque de causis in Gallia ceperit hujus generis exemptio, ac propagata sit, et in Germania.

5. Prima exemptionum monumenta inveniuntur in Gallia: ubi causae quoque dignoscuntur, quibus illae fuerint invectae. " Et si raro (ait laudatus Thomassinus (2), aliquando tamen tam asperos et impotentes (praepotentes) experta sunt Capitula Episcopos ut et ipsi privilegiis se munire studuerint. Inter epistolas Alexandri III. P. amarulentissimae leguntur quaerelae Capituli Aurelianensis de Episcopi sui infestationibus Post ep. 105: Hic idem Pontifex Capitulo Cabillonensi quod Episcopus rejiceret eos omnes, qui ei offerebantur instituendi ad regendas Parochias Capitulo obnoxias,

(1) Vide Recueil des actres, titres, et memoires concerbant les affaires du Clerge de France. to. 6.

(2) cap. 41. §. 1.

concessit, ut ter repulsam passi a Cabillonensi, praesentarent illos Augustodunensi, ut ab eo instituerentur in Parochiis vacantibus. Denique prohibuit, ne interdici ab Episcopo Cabillonensi, suspendi vel excommunicari possent clerici Ecclesiae suae Cathedralis, nisi monito prius Capitulo, si vel maxime praesto esset Capitulum, ut in reos animadverteret. Append. 3. ep. 1. „

Quibus exemptionibus quamvis Cabillonense Capitulum suae jurisdictioni immediate non subjecerit Pontifex, eae tamen sunt aliarum exemptionum veluti semina quae non minus rei nostrae favent: Si enim Capitulum illud Alterius Episcopi jurisdictioni subjicere Pontifex potuit, quis idem Capitulum sibi ipsi reservare potuisse negabit? Aliud notatu dignissimum quoque est quod de exemptione Capitulorum Bellovacensi, et Coloniensi refert Benedictus XIV. (1) " Saravia in suo tractatu etc. . . . asserere non dubitavit nunquam tantam vim habitura fuisse duo illa Capitula Bellovacense in Gallia, et Coloniense in Germania, ut se se valide, viriliterque opponerent Praesulibus suis tunc cum ambo, sicuti legimus in historiis, a *Fide Catholica* defecerunt, nisi fuissent a jurisdictione suorum Episcoporum immunia „. In Gallia " Exemptiones (prosequitur Thomassinus) Capitulorum verae an sup-

(1) De Synodo Dioecesana lib. 13. cap. 9. num. 2.

posititiae (1) excreverant jam in immensum fere anno 1277., quando Episcopi Provinciae Remensis in unum quodammodo confederati sunt corpus, et in unam causae societatem, ut munimenti sibi aliquid adversus Capitula sua compararent. Sed multo magis illae excreverant tempore C. Viennensis, cum deliberatum in eo sit de iis revocandis prorsus ,, ut inferius patebit.

In Anglia.

6. Ea fere aetate, qua in Gallia exemptiones hujusmodi propagabantur, eaedem in Anglia quoque ceperunt. Narrationem Matthaei Paris ad annum 1241. refert saepe laudatus Thomassinus " Nimirum Willelmum Rufum Angliae Regem innovata, et quasi e fundamentis restaurata Lincolniensi Ecclesia ipsaque Episcopi sede, post diuturnum interregnum duos accersivisse Card. Legatos, octo Episcopos, Archiepiscopos sexdecim, qui consensione unanimi statuerunt, ut Canonici Saeculares Cathedralis hujus Ecclesiae subjicerentur visitationi et correctioni Decani (huc recidit ratio de qua superius §. 5.). . . . Habes hic Capituli et primariam institutionem et primaevam libertatem ab ipsa sua origine confirmatam a Papa etc.,,

Quid in Italia, et in Hispania.

7. Animadvertit Fagnanus (2) omnia Italiae Capitula secundum jus commune Episcopis subesse

(1) Supposititias dicit: multa enim Capitula fictis diplomatibus, et privilegiis suam exemptionem tuebantur, ut inferius dicemus.

(2) Lib. Decretal. part. 2 pag. 449.

Contra autem Hispaniae omnia soluta esse ab Episcoporum jugo cujus rei causam Episcoporum absentiae tribuit Thomassinus inquiens. " Cum paulo post annum Christi septingentesimum Mauri Africani in Hispaniam se effudissent, eamque omnem subegissent, Episcopi ipsi copiis militaribus Regi, regiisque exercituum praefectis aggregaverunt se per plura saecula, ut urbes, ut civitates, ut Ecclesias, seque ipsos, exturbatis Saracenis, recuperarent. Interim vero opportunum imo pene necesse fuit, ut Capitula jurisdictionem in sese, in canonicos, in Ecclesias urbanas capesserent, praescriberentque ".

Propagatio exemptionis Capitulorum schismatis 40. annorum tempore.

8. Ita sensim istae Capitulorum libertates diffundebantur; teterrimo vero Occidentali 40. annorum Schismate post obitum Gregorii XI non inceptae, sed latissime propagatae sunt. Pontifices enim dubii ad majorem subjectionem, benevolentiamque conciliandam in concedendis hisce immunitatibus profusissimi fuerunt. Haec de Capitulis. Nunc pauca de aliorum generum personis.

Universitatum exemptio, ejusque causa.

9. " Universitates (ait Van-Espen (1)) quando jurisdictioni Ordinariorum subtrahi, et Sedi Apostolicae immediate subjici *ceperunt* incertum est. Illud valde verisimile est rationem hujus subtractionis esse, quod cum Universitates praecipue ad scientias tradendas sint institutae; atque inter scientias e-

(1) Juris Ecclesiastici universi tom. 3. pag. 3. tit. 12. de exemptione a Jurisdictione Ordinar.

mineat Theologica, quae et difficiliores, et graviores quaestiones, et controversias parere solet, maluerint, tutiusque judicaverint, Sedi Apostolicae suarum difficultatum, et quaestionum decisiones, ac una modum docendi, et regimen Academicum esse subjectas, quam particulari Episcopo, in cujus dioecesi Universitas esset erecta. Accedit quod tandem invaluisset, ut publicae Universitates auctoritate Sedis Apostolicae erigerentur, et privilegiis donarentur,,.

Particulares personae exemptae, Protonotarii, Spoliorum Collectores, aliique.

10. Protonotarii pro antiquissima, ac maxima eorum dignitate, et pro gravissimis, quibus in variis Orbis provinciis fungebantur muneribus, exemptionis privilegio donati, et Sedis Apostolicae jurisdictioni subjecti sunt.

De spoliorum quoque Collectoribus ad Cameram Apostolicam pertinentium (quorum munus in provinciis est reservare spolia Clericorum in pauperes, aliosque pios usus distribuenda) idem est dicendum.

Horum exemplo ceperunt et aliae personae variis titulis sibi exemptionem a subjectione sui Episcopi impetrare, quemadmodum ipsa Synodus Tridentina innuit praesertim Sess. 24. cap. 11. de *Reformat.*

Remedia exemptionum abusibus apposita.

11. Ultima superest hujus historiae pars maximi ponderis, in qua apparebit rectissima summorum Pontificum, et Conciliorum agendi ratio in exemptionum abusibus eradicandis.

Ab Alexandro III.

12. Alexander III qui floruit circa medietatem

Saeculi XIII multas exemptiones supposititias fuisse cognoscens Cap. *Recepimus de privilegiis* sapienter admonet, ut quoties aliqui ab Episcoporum subjectione immunes se esse contendunt, inspiciantur privilegia, et eorum tenor diligenter expendatur. Neque enim semper hujusmodi privilegia eam habent vim, de qua sibi quisque blanditur (1).

13. Saeculo autem 14. volentibus quibusdam in Viennensi Concilio, ut exemptiones revocarentur, eorum votis non obtemperarunt Patres; sed quasdam potius condiderunt regulas ad exemptorum incolumitatem eorumque privilegia tuenda, et ad abusus coercendos. *Clementina frequens de ex. Praelatorum Clem. Religiosi de privilegiis*. A. C. Viennense.

14. Concilium autem Constantiense omnes illas revocavit exemptiones, quae a dubiis Pontificibus tributae fuerant; et ore Martini V. spopondit " insuper non intendimus exemptiones de cetero facere, nisi cognita causa, et vocatis, quorum interest ". A Costantiense.

15. In C. Lateranense IV. cap. *irrefragabili* arctioribus limitibus Capitulorum exemptiones circumscriptae sunt. A Lateranense. IV.

16. In C. Lateranensi V. Leo X. Const. *Regimini universalis Ecclesiae* (2) statuit " Exemptiones autem de cetero absque rationabili causa, et A Lateranense V.

(1) Vide Benedictum XIV. op. cit. lib. 13. cap. 9. §. 3.

(2) C. 11. Bull. tom. 3. pag. 406. §. 4.

quorum interest minime citatis, pro tempore concessas, nullius roboris, et momenti esse decrevimus „.

A Tridentino.

17. Tandem in C. Tridentino magno animi ardore de Capitulorum exemptionibus est disputatum: et Card. de Lotharingia multa incommoda ex hujusmodi exemptionibus profluentia commemorans affirmavit (1): *Niuna pestilenza da lui stimarsi più nociva, che siffatta esenzione; riuscendo a mostro molte membra senza capo*: ideoque Patres Tridentini (2) ita provide consuluerunt " Capitula Cathedralium, et aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personae exemptae . . . . toties, quoties opus fuerit (a suis Episcopis etc.) visitari, corrigi, et emendari etiam auctoritate Apostolica possint et valeant „.

Quoad alias vero exemptas personas Patres illi constituerunt, ut eaedem *propriis Ordinariis tamquam Apostolicae Sedis delegatis plene in omnibus subjectae existant* Sess. 24. cap. 11. de Reform.

Inspectis factis hujusmodi patet exemptionum convenientia.

18. Sed jam omnia conferamus in pauca ut adversariorum fallacia, et iniquitas vel ex hoc primo ab historia desumpto argumento detegatur: et appareat, thesim nostram inferius ex jure demonstrandam etiam ex facto non leve accipere suae veritatis argumentum.

(1) Istor. del Conc. di Trento del Card. Pallavicino l. 23. cap. 3. n. 6.

(2) Sess. 6. cap. 4. de Reform.

Ex justissimis nempe causis, q ibus illae a RR. Pontificibus concessae fuerunt.

19. Vidimus exemptionum, de quibus sermo, originem, earumque in variis Orbis partibus progressum: aequissimas novimus causas, quibus Romanae Ecclesiae Antistites ad eas concedendas impulsi fuerunt; Episcoporum nempe saevitias in Canonicos, eorumque malam Parrochiarum administrationem in Gallia. Angliae Regis beneficia Linconiensi Ecclesiae collata. Defectibus administrationis Episcoporum a bellorum curis occupatorum in Hispania supplendum erat. Ad puras Religionis doctrinas tradendas in diversarum regionum universitatibus, earumdem exemptio, teste Van-Espen, conducebat. Nonne viri quidam in variis Provinciis functi summis Romanae Sedis muneribus, eidem addictissimi et respondentes per immediatam Pontifici subjectionem reddebantur? Nec praetermittendum, quod Card. Pallavicinius in sua historia affirmavit (1): *Si conosceva* (inquit ipse), *che l' esenzion de' Capitoli giovava per freno ai Vescovi di non prevaricare o nella fede, o nel governo*. Nonne haec omnia valent vel maxime ad Summorum Pontificum agendi rationem commendandam?

Ex remediis ad abusus evellendos adhibitis.

20. Plura quidem et pestifera saepe mala ex multiplicatis exemptionibus dimanasse compertum est. Eae vero partim utpote falso fundamento innixae abrogatae sunt; partim in teterrimo 40. annorum Schismate a dubiis Pontificibus concessae

(1) L. 23. cap. 3.

penitus sublatae sunt, reliquisque abusibus sapientissimi Pontifices et Concilia consuluerunt.

Iisdem perpensis factis eximendi jus demonstratur utpote a fidelium usu, et Conciliorum decretis suppositum.

21. Sed unum superest consideratione dignissimum. Ad Romanam Ecclesiam concurrebant undique fideles, ut exemptiones acquirerent: Summi Pontifices, cognita causa, eos eximere non detrectabant. Persuasum igitur erat, hoc jus ad Apostolicam Sedem pertinere. Deinde vero; ne unus quidem inventus est, qui in quinque Conciliis a nobis relatis, in quibus tantopere de exemptionibus vel tollendis, vel minuendis, vel corrigendis disputatum est, nemo inquam, hoc jus Romanis Pontificibus ausus est denegare, si unum excipias Mendensem Episcopum Willelmum Durandum, qui in instructione ad celebrationem Viennensis C. proposita ipsum RR. Pontificum jus exemptiones donandi aggredi visus est, quo facilius ad eas abolendas Concilium impelleretur; ejus tamen sententia nihil movit Viennenses PP., qui quasdam dumtaxat regulas pro exemptis tradiderunt, ut supra dictum est. Quin etiam; illud summorum pastorum jus esse eadem Concilia factis comprobarunt; regulas enim sanctissimas tradiderunt quibus imposterum exemptiones conferrentur.

Illudque a RR. Pontificibus independenter a quacumque humana concessione exercitum, jus in iis proprium ac nativum ostendit.

22. Sed esto dicent adversarii, quod potuerint Romani Pontifices exemptiones istas conferre. Id autem non proprio et nativo jure, sed Episcoporum concessione, approbationeque Synodali facere potuerunt. Quod temere prorsus, et falso ab ad-

versariis profertur. Imprimis enim hoc probe considerandum est, nullum extare positivum monumentum, quo evincatur hoc jus, quo nemine reclamante uti ceperunt RR. Pontifices, quando id agendi se se praebuit occasio, ab aliqua Episcoporum vel Synodorum concessione in ipsos derivasse. Deinde vero primaeva exemptionum exempla, veluti illa quam Alexander III. fecit in Gallia, evidentissime ostendunt *contra Episcoporum voluntatem* Pontifices se se gessisse, ut eorum obviam irent abusibus. Tandem in Conciliis, in quibus de exemptionum reformatione actum est, nunquam eorum Patribus venit in mentem, ut vel in Pontifices reclamarent ut pote qui suae jurisdictionis limites excederent, vel ab iis suppositam hanc Episcoporum concessionem revocarent; sed sapientissimae solummodo constitutae sunt regulae, *ne exemptiones de cetero absque rationabili causa* fierent. Qua igitur ratione asserunt illi non proprio, et nativo jure, sed Episcoporum concessione, approbationeque Synodali Pontifices exemptiones elargiri potuisse. Verum ex intrinseco perscrutanda res est: et ecce sensim ad secundam dissertationis partem pervenimus, quae maximi momenti est, in qua theologicis argumentis proprium, et nativum RR. Pontificum jus vindicamus, quasdam personas ab Episcoporum jurisdictione subtrahendi, ac suae potestati immediate subjiciendi.

Secunda Dissertationis pars Erronea adversariorum systemata enucleatius explicantur.

23. Hoc autem negant imprimis Protestantes qui eos jurisdictionis primatum in universa Ecclesia habere inficiantur, contra quos nihil impresentiarum hunc enim jurisdictionis primatum demonstratum supponimus. Hoc jus RR. Pontificum esse negant secundo nonnulli qui se Catholicos dicunt: Quorum pestifera systemata mature quidem investiganda et agnoscenda sunt, ne a quaestionis statu aberremus.

Iustinus Febronius (1) affirmat,, Romano Praesuli *Praesidium et directorium* competere universi, idest *sollicitudinem omnium Ecclesiarum*, sed non *immediatam curam*, *et directionem singularium ovium*.

Similia habet Tamburrini (2). Posito enim: *che la primazia della Sede Romana non è solamente una Primazia di titolo*, *o di onore*; *ma una Primazia di autorità*, *e di giurisdizione*: deinde prosequitur quod: *la spirituale autorità*, *e giurisdizione della Primazia della S. Sede . . . non si dee confondere coll' autorità Episcopale*; *ma che questa e la primazia sono due oggetti distinti*: Et alibi dicit (3): *la Primazia di Papa non è la giurisdizione Episcopale*, *ed immediata in ciascuna Diocesi*. Iurisdictionis primatum in duobus hisce situm esse contendit: 1. in jure

(1) De Statu Ecclesiae c. 7. §. 7. num. 1.

(2) In opere cui titulus: vera idea della S. Sede. Capo 2. §. 55. 1. 2. 3. §. 5.

(3) Pag. 107.

Ecclesiam universam representandi: 2. in auctoritate movendi, et impellendi Episcoporum jurisdictionem, quo Doctrinae puritas, morum sanctitas, disciplinae rigor in universa Ecclesia custodiatur. Paria affirmavit Eybel in opere *quid est Papa?* Cujus inter propositiones a Pio VI. in Bulla *super soliditate* damnatas haec habetur " Vim primatus hac una praerogativa contineri supplendae aliorum negligentiae, prospisciendi conservationi unitatis hortationibus, et exemplo. Pontifices *nil posse in aliena Dioecesi* praeterquam extraordinario casu ".

Quaestionis status.

24. Tota igitur quaestio in hoc praecise versatur, utrum R. Pontifici jus competat Ordinarium in cujusvis Dioeceseos subditos; unde immediatam in illos jurisdictionem possit ipse exercere. Proptereaque nostrum est demonstrare, *Primatiam* non esse ab Episcopatu distinctam, immediatamque in cujusvis Dioeceseos subditos jurisdictionem RR. Pontifices habere, eamque singulorum Episcoporum jurisdictione superiorem esse, ac potiorem. Unde directe concluditur, posse RR. Pontifices, cum id Ecclesiae utilitatem postulare cognoverint proprio ac nativo jure personas saepe commemoratas ab Episcoporum singulorum jurisdictione eximere, sibique immediate subjicere.

Ad examen itaque breviter revocemus SS. Scripturarum eloquia, unanimem SS. Patrum traditionem, Conciliorum oracula.

Probatio 1. ex SS.Literis: ac primum ex vi Primatus, promissione ejusdem considerata.

25. Christus Dominus *Caput corporis Ecclesiae* (1) *Pontifex* aeternus (2), supremus Pastor et Episcopus (3) antequam ex hoc mundo transiret ad Patrem Ecclesiae suae consuluit, et occasione celeberrimae illius confessionis de sua Divinitate a Simone editae, dixit ei „ Ego dico tibi; quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam . . . . et tibi dabo claves Regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis „ (4). Quibus praeclarissimis verbis fatentibus ipsis adversariis Primatum jurisdictionis in universa Ecclesia Petro Christus Dominus promisit.

Post repromissum jam Petri Primatum haec Apostolis una cum Petro congregatis spopondit Dominus " Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo „ (5). Jam vero omnes conveniunt Catholici, et in omnibus antiquitatis monumentis certissimum est, hisce verbis promisisse Apostolis Christum Episcopalem regendi, et gubernandi Ecclesiam Dei jurisdictionem. Eaedem igitur voces *solvendi*, *et ligandi* singulariter Petro a Christo Domino directae; in eo unitatis centro, Ecclesiae Ca-

(1) Coloss. 1. 18.
(2) Hebr. 5.
(3) Petri 2. 25.
(4) Matth. 16.
(5) Matth. 18. 18.

pite, fundamento, ac Principe constituendo, demonstrant profecto in hujusmodi Primatu *universalem* et *potiorem* (Irenaei verbo utar) Episcopatum ei Christum contulisse. Quod optime nobis Cyprianus insinuat ep. 27. lapsis dicens " Dominus noster .... *Episcopi* honorem, et Ecclesiae suae rationem disponens in Evangelio loquitur et dicit Petro: *Ego dico tibi quia tu es Petrus* etc. Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur ,,.

Dein ex vi ejusdem perpensis D. Servatoris verbis in Primatus institutione ab eo adhibitis.

26. Post resurrectionem suam (quod omnibus pariter Catholicis exploratum est) quem Petro antea promiserat sacrum Principatum reipsa contulit Servator noster, cum specialis dilectionis testificatione ter ab eo requisita, *pasce* (dixit) *agnos meos*, *pasce oves meas* (1).

Jam vero ex Scripturae usu *pascere* auctoritatem, regendi, et gubernandi significat veluti cum Israelitae Davidi dixerant. " Ecce nos os tuum, et caro tua sumus, sed et heri, et nudius tertius cum esset Saul Rex super nos, tu eras educens et reducens Israel: dixit autem Dominus ad te: tu pasces populum meum Israel ,, (2). Cyrus quoque *Pastor* nominatur (3). Et Ezechiel 34. bis *pascendi* vocem ad regendi et gubernandi potestatem

(1) Joan. 21.
(2) 2. Reg. 5.
(3) Isai. 44. 28.

significandam adhibuit. Sed Episcopalis jurisdictio in quonam sita est, nisi in pascenda, et gubernanda Gregis Dominici parte singulis Episcopis credita? " *Pascite* (inquit Petrus Episcopis (1)) qui in *vobis* est Gregem Dei ,, et Paulus (2) " attendite vobis, et universo gregi in *quo* vos S. Sanctus posuit Episcopos *regere* Ecclesiam Dei ,, .

Pascendi igitur potestas tum erga *agnos* cum erga Universae Ecclesiae *oves* Petro in Primatus collatione concessa manifeste significat, hujusmodi *Primatum* esse universalis Ecclesiae Episcopatum, esse immediatam supra uniuscujusque Dioeceseos subditos jurisdictionem, eamque singulorum Episcoporum jurisdictione superiorem esse, ac potiorem. Apposite consentientibus aliis Ecclesiae Patribus Bernardus (3). " Habent Episcopi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pastor: unde id probem quaeris? Ex verbo Domini pasce etc. ,,

Cum igitur R. Pontifex ad Ecclesiae bonum personas, de quibus loquimur, ab Episcoporum jurisdictione eximit, sibique immediate subjicit, ea potiori utitur potestate, quam ipsi Christus Do-

(1) 1. Petri 5. Loquitur Petrus de Episcopis: sequitur enim: neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti Gregis ex animo.

(2) Act. 22. 28.

(3) L. 3. de consid. ad Eugenium.

minus ad quoslibet pascendos Gregis sui Agnos, et oves singulariter tribuit.

27. Sed jam ad reliqua pergamus, ac spiritum universae traditionis, et Ecclesiae sensum diligenter investigemus. Verum ne benignissimi lectoris patientiam multiplicatis monumentis defatigemus, pauca seligamus ad rem nostram quam maxime directa; in varias autem classes varios SS. Patrum dicendi modos distinguam, quo facilius eorum vis perspiciatur.

Probatio 2. ex Patribus, et Conciliis, quorum varii loquendi modi ad examen revocantur.

28. Passim Ecclesiae Patres Petrum dicunt esse *Pastorem*. Chrysostomus (1) eum vocat " *Ecclesiae Pastorem* et Caput ,,. Aliquid praeterea addit Leo Magnus (2) " ut in Populo Dei multi Sacerdotes sint multique *Pastores*, omnes *tamen proprie regat* Petrus ,,. Nonnulla alia distinctius adjungit Amasenus Episcopus S. Asterius (3) " Mundi curam (Petrus) accepit, velut unum gregem unus Pastor ,,. Tandem Bernardus de Petri successore haec habet (4) " cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic *absolute*, *et indiscrete*, *totae* commissae sunt oves, *si me amas*, Petre, pasce oves meas ,,. Quid igitur significat, Petrum ejusque successores Episcoporum, imo totius ovilis Jesu Christi esse *Pastores*? quid sisignificat; *proprie*, *absolute*, *indiscrete*, omnes

R. Pontifex vocatur Pastor universalis.

(1) Hom. 57. in Matth.
(2) Ser.3. de Ass. sua ad Pont.
(3) Hom. in SS. Principes
Apostolorum ad calcem operis S. Prosperi: edit. Venet. 1744.
(4) L. 2. de consid. c. 8.

orbis fideles pascere, nisi, Petrum, ejusque successores ratione primatus totius Ecclesiae Episcopos esse, immediatamque jurisdictionem in fideles omnes habere, nec non Episcopis singulis jurisdictione ita praestare, ut illas, quas defendimus, exemptiones proprio jure possint rationabili de causa facere?

Episcopus universalis.

29. Sed quid? Expressis verbis totius Ecclesiae Episcopatum Romanum Pontificem vi primatus habere, Sancti Ecclesiae Patres asseruerunt. Tertullianus (1) R. Pontificem appellat *Episcopum Episcoporum*, qui licet id ironice affirmet; tamen, uti optime annotat Fleury (2), irrisio hujusmodi absque fundamento fuisset, nisi Pontifex ab omnibus Catholicis Episcoporum Episcopus reipsa haberetur. Eamdem loquendi rationem in C. Carthaginensi 3. adhibuit Cyprianus: Qui autem Novatiano Schismati adhaerebant in sinum Catholicae Ecclesiae redeuntes, Cornelio professi sunt (3), " non ignoramus unum Deum esse, et unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum S.S., unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere ". Leonis M. Legati, nemine reclamante, in Chalcedonensi Concilio, eum *Ecclesiae Universalis Episcopum* appellarunt quod Tamburrini quo-

(1) De Pudicitia c. 1.
(2) Hist. Eccl. l. 5. num. 46. Paris 1713.
(3) Ep. Cornelii P. ad Cyprianum inter Cyprianicas 46.

que fatetur. Sophronius Hierosolimitanus in libello eidem Concilio oblato *Universalem Episcopum* eum nominat. Synodica Concilii V. ad Agatonem epistola " tibi (ait) primae sedis *Antistiti Universalis Ecclesiae* quid agendum sit relinquimus „ (1) Maurus Ravennatensis Episcopus in ep. ad Martinum in C.Lateranen. Anno 649. lecta, et ab eodem confirmata eum " toto Orbe Catholico *universalem Pontificem* „ appellat (2). Omnibus igitur Catholicis persuasum semper fuit jurisdictionis Primatum non esse ab Ecclesiae Universae Episcopatu distinctum. Qui vero *Orbis Catholici est universalis Episcopus*, quique *Episcopus est Episcoporum*, nonne nativo jure, si expedire judicaverit, exemptiones, de quibus sermo, facere poterit?

" *Ora* (insurgit hic Tamburrini loco cit.) *un tal nome fu proscritto da S. Gregorio come un nome profano*, *e come una bestemmia* „. Verum qui fuerit Gregorii scopus sedulo perpendamus, consideremus et verba. Joannes Jejunator inaudita ambitione ductus Episcopi Oecumenici nomen sibi assumere conabatur, quod quidem nulla ratione ejus dignitati conveniens erat. Ipse enim Constantinopolitanus Episcopus in C. Costantinopolitano I. nonnisi nudo Patriarchae titulo decoratus, et in Calcedonensi jura quoque Patriarchi est consecutus, quae tamen a Leone et ab ipso Gregorio semper dene-

(1) Mansi to. 11. CC. col. 683. (2) Labb. to. 6. col. 95.

gata sunt; ita vero hoc impudentiae, et blasphemiae nomen sibi arrogabat; ut *solus* ipse Episcopus appellaretur; reliqui vero tamquam ejus vicarii haberentur : hisce enim verbis ejus audaciam redarguit Pontifex " ut despectis fratribus Episcopus appetas *solus* vocari ,, et ep. ad Mauritium Imp. ita scribit " Absit a cordibus Christianis nomen illud blasphemiae, in quo omnium Sacerdotum *honor adimitur*; dum ab uno sibi dementer arrogatur ,, Sive igitur ejus scopum perpendimus, sive verba consideremus, profecto intelligimus, nihil aliud asseruisse Gregorium, nisi quod omnes semper Catholici confessi sunt; quod certe illi, quam retulimus SS. Patrum gravissimorumque scriptorum, et Conciliorum sententiae de universali RR. Pontificum Episcopatu, nullo modo opponitur.

Universalis Ordinarius.

30. Sed quid plura? Sit pro coronide C. Lateranense IV. quod can. 5. pronunciavit Ecclesiam Romanam " Disponente Domino super omnes alias *Ordinariae* potestatis obtinere principatum ,, : hanc vero ordinariam in alias Ecclesias potestatem non expressa, vel tacita hominum concessione sed *Disponente Domino* illa obtinet.

Ex quo factum est, ut D. Thomas (1). ac D. Bonaventura (2) et cum his reliqui Theologi recte sen-

(1) Opusc. contra impugn. Relig. c. 4.

(2) Opusculo ad fratr. Minores defendendos,

tientes aperte constituant *Ordinariam*, *et immediatam* in universam Ecclesiam R. Pontificis jurisdictionem.

Contra igitur Divina Sacr. Scripturarum eloquia, contra constantem fidelium omnium sensum, contra apertissima Ecclesiae Catholicae oracula loquuntur, qui *Primatiam* ab Episcopatu distinguunt, qui immediatam singularum ovium jurisdictionem cujusvis Episcopi jurisdictione superiorem, ac potiorem R. Pontifici adimunt, neque ipsum idcirco nativo jure posse exemptiones, quas defendimus, facere contendunt (1).

(1) Quoniam vero Isidorianas merces nobis undique opponere non cessant adversarii, non abs re erit nonnulla de his adnotare.

Sciendum imprimis, Isidorum Peccatorem, seu Mercatorem collectionem epistolarum Rom. Pontificum a Clemente usque ad Damasum edidisse, ex Hispania in Germaniam sub finem saeculi 8. primum intulisse Riculfum Moguntinum Episcopum, eamque promulgare studuisse, ut Hincmarus Remensis in libro adversus Hincmarum Laudonensem memoriae prodidit, qui inter alios antiquissimos scriptores earum epistolarum falsitatem subodoratus est: nihilo tamen minus a 9. Ecclesiae saeculo usque ad 14. earumdem multum invaluit auctoritas: ipsarum vero fallacia severioribus Criticae regulis saec. 17. certissime detecta est.

Impostura autem in eo sita est (ita rectissime observat Petrus Ballerini dissertatione inserta p. 3. tractatus de antiquis collectionibus, et collectoribus canonum) quod Pseudo-Isidorus eas sententias iis auctoribus imposuerit quibus non sunt, et posterioris aevi disciplinam antiquioribus Pontificibus affixerit, quasi prioribus Ecclesiae saeculis viguisset. Falsissimum enim est, quod Haeretici, ac pseudo-catholici passim blaterant (ut de re tantum nostra aliquid attingamus) novum jus, novaque principia per Isidorianas decretales introducta; easque R. Pontificem Ordinarium Ordinariorum constituisse; universalem Episco-

Ex defensa a nobis veritate consequi dicunt adversarii, Episcopos contra D. Ordinationem non esse nisi R. Pontificis Vicarios.

31. Hic vero totus adversariorum Chorus unanimiter conclamat: " *Se la Primazia* (ait Tamburrini loc. cit.) *fosse una cosa istessa coll' Autorità Episcopale . . . per legittima conseguenza ne seguirebbe*, *essere il Papa il Vescovo . . . unico poichè l'autorità del Primato si estende a tutta la Chiesa . . . . e che tutti gli altri non fossero*, *che suoi Vicarj per agire in tutto come Delegati della S. Sede* ,, quod *juribus Episcoporum* est *adversum* (ut febroniana phrasi loquar) utpote qui jurisdictionem Divinitus (1) in suos subditos habent: *positi* enim *sunt a SS. regere Ec-*

patum illi, immediatamque in cujusvis Dioeceseos subditos, et alia hujusmodi tribuisse. Constat enim ex iis, quae in hac nostra dissertatione habentur, primum in S. Scripturae, Traditionis, et Conciliorum voce illa omnia fundari: dein Patres fere omnes, quos veluti traditionis testes attulimus, aliique a nobis laudati multo ante floruerunt, quam Isidorus suas merces diffunderet, Cyprianum, dico, Tertullianum, eos, qui ex Novatiano schismate ad Ecclesiae unitatem redieruut, nec non Chrysostomum, Leonem, aliosque: similiter de monumentis, quae ex Concilio Chalcedonensi, et Constantinopolitano II. afferebamus, est dicendum. Denique si quidvis contra consuetudinem accidit; etiam si bonum, et utile sit, ipsa novitate perturbat; quidnam quaeso contra codicem istum dictum esset, si ut ab illis contenditur, Primates, Episcopos, Clericos universos etc. suis juribus expoliasset?

Qui plura desiderat adeat laudatum Ballerini.

(1) Affirmat Tamburrini *immediate* a Deo jurisdictionem Episcopos habere, quam disputationem tanto animorum ardore in Tridentino agitatam, utpote à nostra thesi adiaphoram silentio praetereo adnotans solummodo, quod sapientissimus Benedictus XIV. affirmavit (De Syn. D. l. 1. c. 4. n. 2.) „ et rationi, et auctoritati conformior videtur sententia opposita „.

clesiam Dei, et commissum illis *gregem* pascere; " *essa è difatti* (prosequitur Tamburrini) *una verità evidente nella Scrittura, e nella Tradizione, che i Vescovi tutti posseggono in solidum col Papa senza pregiudizio della sua Primazia lo stesso Episcopato, e la stessa autorità Episcopale* ,, .

32. Si quis nihilominus contendat (urgent praeterea illi) haec Divina Episcoporum jura sarta tecta remanere, hac in hypothesi " *sarebbe (l'autorità Episcopale) nel Papa* (ait Tamburrini) *in contradizione con se medesima, e sarebbe in contradizione degli altri Vescovi. Sarebbe in contradizione con se stessa, poichè sarebbe nello stesso tempo ristretta, e senza limiti, sarebbe eguale e superiore, e così pure relativamente agli altri Vescovi il Papa sarebbe eguale, e Superiore nello stesso genere, ciò che ripugna evidentemente* ,, .

Quod si primam absurditatem vitare conemur in alias contradictiones in ipsa asserta Pontificis jurisdictione nos incidere contendunt.

Ordinariatum itaque hunc universalem una *cum jure Isidoriano* corruere, affirmat Febronius (1). Ideoque concludit Eybel " Pontifices nil posse in aliena Dioecesi praeterquam extraordinario casu ,, (loc. cit.)

33. Jam vero, ut pestiferum hoc Systhema uno tempore funditus eradicetur, hoc mihi superest de-

Verum ita a Deo ordinata est Episcopalis potestas, ut in R. Pontifice *Summa* sit non *sola*, nec simplices sine Episcopi ejusdem Vicarii.

(1) Cap. 7. §. 7. n. 4. cujus commentum ex dictis manifestum arbitror.

monstrandum, veritatem illam tam praeclare a S. Literis, ab unanimi Ecclesiae traditione, et a Conciliis exhibitam, Romanum nempe Pontificem vi Primatus *Episcopum et Ordinarium universalem* esse, *immediatamque curam et directionem singularum ovium* illi competere, hanc inquam, veritatem non efficere, ut summus Pontifex sit Episcopus unicus in Ecclesia, quod tanquam blasphemiam cum S. Gregorio M. laudato reprobamus, seu quod idem est, per illam doctrinam aliorum Episcoporum jurisdictio non adimitur neque isti Pontificis efficiuntur Vicarii.

Posita enim sapientissima animadversione, quam Meldensis Episcopus Bossuet in admirabili suo de unitate Ecclesiae sermone habet, optime haec omnia componuntur. (1) Cum Christus Dominus (observat ipse) jurisdictionem hanc universalem, et potiorem uni commiserit, cumque vero eamdem multis aliis communem esse voluerit, necessario sequitur, ut in istis eadem auctoritas subordinata sit: duo enim pluresve summi imperantes in uno eodemque potestatis genere independentes omnino repugnant: *quae autem a Deo sunt ordinata sunt*.

Repugnat itaque, ut ad propositum nostrum veniamus, duo vel plures Episcopos alterum ab altero independentes in Ecclesia Christi haberi quod a fidelibus omnibus semper detestatum fuit: non

(1) N. 17. Oeuvres a Liege 1766.

autem contra. Quin etiam? Conforme vel maxime est sapientissimo D. Fundatoris fini tam frequenter a Patribus fidelibus inculcato ut unitas membrorum in Ecclesia habeatur, ut *sit unum Ovile, et unus Pastor*. Conforme quoque vel maxime est illi praxi, quam ab Ecclesiae nascentis exordio Apostoli ipsi retinuerunt. Enim vero Episcopi ab illis ordinati veram Episcopalem auctoritatem habebant pascendi illum gregem, in quo posuit eos S. S. regere Ecclesiam Dei. Nihilominus tamen munus extraordinarium Apostolorum, quod in ipsis desiit, ad universam extendebatur Ecclesiam *cum subjectione* tamen *ad Petrum*; et Paulus, Titum constituens Cretae, *ut ea*, quae deerant *corrigeret, et constitueret per civitates Presbyteros*, illius Ecclesiae curam retinuit; Episcopalemque jurisdictionem in illius subditos persaepe exercuit. Idem de ceteris Episcopis ab aliis Apostolis ordinatis ex eorumdem epistolis, ex Apostolorum Actis, ex Apochalypsi inferre licet.

Atque ita jurisdictionis exercitium in R. Pontifice, reliquisque Episcopis componitur, ut nulla inde contradictio sequatur.

34. Nullius autem momenti ea sunt habenda quae ex nostro Systemate Tamburrini perperam deducit inquiens "*Sarebbe l' autorità Episcopale nel Papa . . . nello stesso tempo ristretta, e senza limiti ec.*". Cui vellem satis cognita esset nostra sententia. Cum enim dicimus Pontificem Maximum universalem esse Episcopum simulque Romanae Dioeceseos, nihil aliud intelligimus, nisi quod, eam potestatem quam in universa Ecclesia habet Ponti-

fex, et data occasione reipsa in diversis Orbis Dioecesibus exercet, ipse Romae semper exerceat.

Numquid autem bene inde concluditur " *che . . . . . relativamente agli altri Vescovi il Papa sarebbe uguale, e superiore nello stesso genere?* „ Si recte consideremus, eumdem quidem Episcopos characterem, eamdemque potestatem in abstracto consideratam habere, uno verbo, aequales eos esse quoad ordinis, non vero quoad jurisdictionis auctoritatem? Constat enim ipsos in partem sollicitudinis vocatos limitatam, et Pontifici subjectam jurisdictionem habere.

Neque potiori asserto R. Pontificis Episcopat i' opponitur quod singuli Episcopi unius, et indivisi Episcopatus partem in *solidum* teneant.

35. Instat praeterea et urget Tamburrinius " *essa è una verità evidente nelle scritture, e nella tradizione, che i Vescovi tutti posseggono in* solidum *col Papa senza pregiudizio della sua Primazia lo stesso Episcopato, e la stessa autorità Episcopale* „. (1)

Sed haec explicatu facillima sunt et nostro Sythemati optime cohaerent, si recte verborum intelligentia investigetur.

Episcopatus *unus* est unitate finis. Potestas enim illa una dicitur, quae ad homines in unum certumque finem dirigendos, ac regendos concessa est; quamquam magis minusve extendatur et quoad subditorum numerum, et quoad res pertractandas.

(1) Verbum *in solidum*, de quo ita disserit Tamburrini tamquam passim in verbo Dei qua scripto, qua tradito pervulgatum ab uno Cypriano mutuatus est.

Ita etiam fit, ut unius, et indivisi Episcopatus a singulis pars teneatur. Nulla enim alia ratione potestatis illius, quae unica natura est pars potest teneri; nisi quoad limites, intra quos illa exerceatur.

Episcopatus autem istius pars a singulis in *solidum* teneri duplici de causa dicitur: primum propter necessariam illam relationem, quam Episcopi habent cum Sede Romana.

" Episcopi omnes (Ita Cl. Bossuet serm. citato Num. 19.) unam habent Cathedram (sive unum Episcopatum) propter *necessariam* illam quam omnes habent cum Cathedra unica, supra quam Petrus, ejusque Successores resident, relationem „ Deinde in solidum retinent, quia cum subordinatione erga Ecclesiae caput: atque ut uno verbo omnia complectar: in solidum retinent, quia *non* a se invicem separati, sed subordinata adhaesione cum unitatis centro Episcopali potiuntur potestate. (1)

(1) Male adversariis cum nostro systemate congruere illa verba videntur; quia forensi modo verbum in solidum explicant, veluti codicem Theodosii, aut Justiniani novellas, commentatores interpretantur.

Ad Cypriani autem mentem optime dignoscendam, juvat hic quae *de unitate Ecclesiae* disserit Martyr in compendium redigere.

Episcopalem S. Petri Cathedrae in universam Ecclesiam auctoritatem aperte confirmat Cyprianus. Ad unam enim Christi Ecclesiam, Cathedram unam, Episcopatum unum demonstrandum, cujus in solidum a singulis pars tenetur, his utitur argumentis. „ Super illum *unum* (Petrum inquit ipse) aedificavit (Christus) Ecclesiam suam, et *illi* pa-

In qua Episcopatus parte tenenda ac pascenda non illud habent singuli Episcopi liberum suae voluntatis arbitrium, ut limitibus quibusdam circumscribi nequeant.

36. Sed urgent inconsiderate sane Cypriani auctoritate abutentes adversarii, ut ea, quae nunc diximus, evertant " Cum habeat (inquit S. Martyr Ep. 72.) in Ecclesiae administratione voluntatis suae liberum arbitrium unusquisque Praepositus rationem actus sui Domino redditurus ". Verba enim ista, si ita intelligantur, ut ea, quae diximus, destruant, sequeretur, Cyprianum ibi Iurisdictionis Primatum denegasse, cui impraesentiarum supponimus eum non contradicere. Quid igitur sibi vult Africanus Antistes? Hoc profecto ille insinuat, cum Episcopi non sint meri R. Pontificis Vicarii, et Legati, Ecclesiae tranquillitatem postulare, ut ii per se ipsos juxta *jus commune* suam exerceant jurisdictionem. Quod S. Gregorius a Tamburrini (1) relatus expressius etiam affirmavit " Si sua unicuique Episcopo jurisdictio non

scendas tradit oves suas ": additque ab uno hoc aliorum auctoritatem incipere, ut *robur unum sit tenaci radice fundatum*; *unitatem* (ait) *in origine servari*, *unum lumen esse, quod ubique diffunditur, unum caput, originem unam, unam matrem fecunditatis successibus copiosam, cujus fetu nascimur, lacte nutrimur, spiritu roboramur*.

Ex Cypriano igitur Episcoporum potestas in solidum non eos in episcopali jurisdictione a Capite independentes, aut etiam in eadem aequales esse significat, quod Tamburrini, aliique vellent. Id enim eam, quam tantopere stabilire nititur Episcopatus unitatem non adstrueret, sed potius labefactaret. Hoc igitur solummodo ea verba valent, omnes ejusdem Episcopatus participes esse cum omnes pro capite, pro radice, pro fundamento S. Petri Cathedram agnoscant, cujus Episcopalis auctoritas ubique diffunditur.

(1) Pag. 181.

servetur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri ordo debet, confundatur „ Potestas enim Ecclesiastica in Ecclesiae Principe non arbitraria, neque ut ita dicam dispotica est, meminisse enim is debet quod de se Paulus praedicabat (1) " Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus *in aedificationem*, non in *destructionem vestram* : non erubescam . . . . nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos „ Sin autem Ecclesiae bonum aliter suaserit, tunc supremus Pastor ordinariam suam jurisdictionem in aliorum Episcoporum Dioecesibus immediate exerceat. Ita profecto cum fidelium salus in Anglia, in Hispania, in Gallia, in Germania, in aliis Orbis partibus exigebat, ut canonicorum Capitula, ut aliae personae ab Episcoporum suorum jurisdictione eximerentur, et Pontifici immediate subjicerentur, sapientissimi Ecclesiae Antistites Christi fidelium bono consuluerunt : cum vero abusus ex illis in Ecclesiam irrepsissent : tunc in quinque Oecumenicis Conciliis prudentissimi constituti sunt canones, quibus imposterum hujusmodi exemptionum usus ita dirigeretur, ut in *aedificationem essent fidelium*, *non in destructionem*.

(1) 2. Cor. 10.

Posito autem quod ad Ecclesiae utilitatem et necessitatem hanc R. Pontifici divinitus datam potestatem fateamur, excludi non potest propterea quod ea homines abuti quandoque potuerint.

37. Sed jam ad incitas (ut arbitror) redacti si hoc verum est, conclamant adversarii, potestatem sacram in aedificationem datam esse, non in destructionem: quocumque tandem jure exemptiones fecerint Pontifices; cum de facto constet, infinita inde mala, et scandala in sanctam Christi Ecclesiam devenisse, in destructionem illas esse, negabit nemo: deneganda igitur huiusmodi jactitata potestas in Pontifice est, qui omnem, quam habet, auctoritatem in aedificationem, non in destructionem habet.

Sed ut tandem aliquando os loquentium iniqua penitus obstruatur non meis, sed praeclarissimis Petri Ballerini (1) verbis respondeo.

" Quod si quidam abusus (iniquit ipse) ex aliqua ipsorum Pontificum culpa quae nulla ratione possit excusari, aliquando provenirent (quod tamen praesertim de Superiore, cuius rationes ignotae, ab inferiori non est temere judicandum) non idcirco ex abusibus esset neganda potestas, quae aliunde certa est; et . . . . in origine ad Divinum jus immutabile pertinet, nec ex abusibus fit irrita: multo autem minus ex abusibus esset neganda; si abusus non ex ipsius Pontificis; sed ex aliorum culpa profecti (2) in malum converterent,

(1) Vindiciae auctoritatis Pontificiae contra opus Justini Febronii cap. 4. §. 8.

(2) Quod in exemptionum negotio ita de facto fuisse ex historia a nobis relata manifeste patet.

quod in bonum fuit institutum. Potestas enim jurisdictionis in aedificationem et non in destructionem tradita, etsi ex recto usu in aedificationem; ex abusu autem (undecumque proveniant) cedat in destructionem: ipsa tamen per se absolute concessa dicenda est, ut nec ex abusibus irrita fiat, nec actus ex ea manantes, ex ipsa culpa abutentium illiciti, nulli in se, et irriti habendi sint. Id ab ipso Febronio ceterisque adversariis concedendum est; quippe qui certam Episcoporum potestatem non negabunt, nec actus ex ea profectos (si lex irritans non impediat) affirmabunt irritos, quamvis et ipsi Episcopi proprio vel alieno vitio sua potestate abuti queant. Summis potestatibus saeculi certa quoque potestas est, nec tamen ex abusibus eadem potestas vocatur in dubium, nec actus consequentes irriti per se habentur, ne malo quod ex ipsis abusibus provenit addantur alia publica damna, quae saepe ex actibus irritis in innocentium quoque detrimentum redirent. Ii quidem qui quocumque ex capite cooperantur abusui illicite agunt: at non omnes actus qui fiunt illicite sunt etiam irriti; unde vulgatum illud, *multa facta tenent, quae fieri prohibentur*. Illi abusus, quos ex limitatione seu restrictione facultatum Episcopis competentium Febronius ingerit, et quandoque etiam exagerat, movere solent plurimos, et me quoque non leviter movere non ibo inficias. Qui omnibus ejusmodi abusibus remedium quaerit, lau-

dandus. At si remedium collocet in neganda, vel impugnanda legitima atque certa potestate, perperam et injuste agit ,,.

EXPERIMENTUM EXTEMPORALE

Quibus finibus Tridentina Synodus exemptiones personarum non regularium definierit : et an conduceret Ecclesiae bono eas exemptiones omnino abolere ?

Magno animorum ardore in C. Tridentino de exemptionibus personarum non regularium disputatum est. Multa enumerata sunt incommoda, quae ab iis exoriri dicebantur tum ex parte eorum, qui a suorum Episcoporum jurisdictione subtrahebantur, cum ex parte ipsorum Episcoporum: e contra autem non defuerunt Sapientissimi Praesules, qui prae oculis omnium eas ponerent utilitates, quas ab hujusmodi exemptionibus tam relate ad particulares personas et Dioeceses, quam relate ad universalem Ecclesiam derivare, rerum experientia, et ratio persuadebat. De quibus omnibus singillatim, data occasione, disputabimus.

Hisce omnibus bene perpensis, hoc statuendum esse, C. Tridentinum decrevit, exemptiones istas omnino non esse abolendas; sed quibusdam limitibus coarctandas.

Limites, quibus ad mala de medio tollenda tum ex parte exemptorum, tum ex parte Episcoporum, a quorum jurisdictione illi subtrahebantur, Tridentina Synodus memoratas exemptiones terminavit, respiciunt primum eos, qui actu eximun-

tur, secundo eos, qui jam exemptionis privilegio fruuntur.

Et quod ad primum attinet S. Synodus non abrogavit, sed confirmavit ea omnia, quae de exemptionum collatione C. Viennense, Constantiense, Lateranense IV, et Lateranense V sapientissime constituerant, *ne exemptiones de caetero, nisi vocatis quorum interest, nisi cognita causa, nisi rationabili de causa fierent*. Rationabilis autem causa in duobus consistit, *ubi necessitas urgeat* (ut verbis utar Bernardi) *ubi utilitas Ecclesiae provocet*.

Quoad eos autem, quibus exemptiones rite collatae essent, nonnulla positive Tridentinum stabilivit, quae a laudatis Conciliis non fuerant statuta: eaque hoc consilio fecit, ut quaerimoniis in eo Concilio prolatis (de quibus inferius) satisfaceret. Voluit itaque, ut in cujusvis Episcopi Dioecesi personae ab ejus jurisdictione exemptae reperirentur eaedem *propriis Ordinariis tamquam Apostolicae Sedis delegatis plene in omnibus subjectae existant*: quoad Canonicorum Capitula vero constituit, *ut toties, quoties opus fuerit visitari, corrigi, emendari etiam auctoritate Apostolica possint, et valeant*. Nunc aliam propositam partem consideremus, conduceret nec ne ad Ecclesiae bonum eas exemptiones omnino abolere. Cui interrogationi negative prorsus respondeo, atque ita respondendum esse arbi-

tror intrinsecis, et extrinsecis validissimis rationibus ductus.

Quod ad intrinseca argumenta spectat, duo consideranda sunt, 1. mala, quae ab exemptionibus ejusmodi emanare dicuntur una cum remediis, quae illis apposita sunt: 2. bona quae inde proveniunt.

Mala imprimis *in exemptionum collatione* tunc haberentur si passim, sine rationabili causa, inconsiderate conferrentur; huic autem incommodo remedium appositum fuisse, ex superius dictis satis patet: statutum est enim, ne exemptiones temere, sed *causa cognita* ec. fierent:

Mala autem in *exemptionibus jam collatis* adesse possunt primum ex parte eorum, qui exemptione fruuntur, quae Cardinalis de Lotharingia ad hoc potissimum reduci posse affirmavit (ut in historia Concilii Tridentini in dissertatione nostra relata habetur) " *niuna pestilenza da lui stimarsi più nociva che siffatta esenzione, riuscendo a un mostro* molte membra senza capo ,, . Hujusmodi autem malum non amplius habet locum statim ac Tridentina Synodus constituerit, ut personae exemptae (quae aliquando ob locorum distantiam a R. Pontifice, cui immediate subjectae sunt, non facile inspici, et corrigi possunt) *propriis Ordinariis tamquam Apostolicae Sedis delegatis plene in omnibus subjectae existant*; Capitulorum vero Canonici *toties quoties opus fuerit visitari, corrigi, emendari ab Episcopis suis*

possint, eadem auctoritate Apostolica illis collata: ideoque non amplius habentur *molte membra senza capo*.

Mala, quae in Episcopos ab exemptionibus provenire possunt sunt 1. ob superbiam, arrogantiamque exemptorum, qui contemptui possent habere Episcopi auctoritatem: verum et hoc evanescit, quoties ab Episcopis *visitari*, *corrigi*, *emendari possunt* etc. Secundo autem loco dicet fortasse aliquis, jura Episcoporum imminui; ideoque hoc etiam incommodum Episcopos experiri. At vero cum exemptiones (ut supponimus) collatae sint rationabili de causa, idest vel ob necessitatem, vel ob Ecclesiae utilitatem, tunc Episcopi dicant oportet, quod de se Augustinus ajebat " Si necessitas tulerit ita esse vel non esse debemus, quod *non propter nos*, *sed propter alios sumus* ".

Nihil autem impraesentiarum de illis malis loquar, quae ab exemptionibus dimanare jactitant Protestantes, et Pseudo-Catholici affirmantes, jura sibi indebita usurpare RR. Pontifices in exemptionibus conferendis: fuse enim in nostra dissertatione eorum audaciam refellere curavimus.

Supervacaneum vero esse putamus hic commemorare, quae peculiaria bona vel maxima ab exemptionibus provenire possint, et reipsa provenerint, cum de iis jam satis in prima citatae nostrae dissertationis parte egerimus. Solummodo igitur ea, benignissime lector, animadvertas quae

Cardinalis Pallavicinius asserere non dubitavit (loco memorata dissertatione cit.) *Si conosceva , che l' esenzione de' Capitoli giovava per freno ai Vescovi di non prevaricare o nella fede , o nel governo .*

Hoc autem bene notandum est , tempore Concilii Tridentini eam pestiferam haeresim Ecclesiae sinum dilacerasse , quae R. Pontificis Primatum etiam atque etiam evertere obnitebatur : nimis itaque expedire videbatur , ut exemptiones in suo statu permanere deberent , quo firmius jurisdictionis Primatus in Christi fidelium cordibus jugiter infigeretur .

Perpensis igitur ex una parte damnis inde partis , et remediis convenientibus , quae Concilium Tridentinum praesertim illis apposuit ; ex altera vero utilitatibus maximis inde manantibus , necessario consequitur ad Ecclesiae bonum eas esse servandas , nunquam vero abolendas .

Nunc vero progrediar ad argumentum ab extrinsecis sumptum .

Exploratum est ab exemptionum historia quam in memorata dissertatione retulimus in Oecumenicis Conciliis , in quibus hac de re actum est , saepe tentatum fuisse a variis Episcopis , ut exemptiones omnino tollerentur : attamen certum pariter est , consilium hujusmodi semper fuisse rejectum , et nonnisi sapientissimas traditas fuisse regulas , ut evellerentur abusus . Jam vero si in quin-

que Oecumenicis Conciliis, in quibus ex professo disputatum est, abrogandae nec ne essent exemptiones, non abrogandas, sed retinendas eas esse statutum est; nonne id satis, superque esse debet cuilibet Canonistae recte sentienti ut tuto, indubitanterque concludat, *non conducere Ecclesiae bono eas exemptiones omnino abolere?*

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro
Sacri Palatii Apostolici.

J. Patriarch. Constantin. Vicesgerens.

NIHIL OBSTAT

Petrus Ostini Rom. Cl. examinator, et Hist. Eccl.
Professor.

Fr. Placidus Brocchetti Ord. Praed.
Consultor Sac. Rit.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed.
Sac. Pal. Apost. Magist. Soc.